



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita  
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

**Druzbicki, Kaspar**

**Coloniæ, 1721**

Consid. 8. Ubi solida virtus exercitanda & perficienda?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

## CONSIDERATIO VIII.

*Ubi solida Virtus exercitanda & perficienda?*



Invenisse Virtutem in Tyrocinio, atque acquisivisse, modicum est: tenellam crescere, adolescere, convalescere oportet. Monstrum est enim, partum ab ea mole, in qua natus est, incrementis sumptis, non recedere. Cui bono infantuli, si semper infantuli? spes succrescendi semina spargit; alioqui spargere, non succretura, detrimentum est. Et Virtus frustra quæritur, si non perficienda quæritur. Rectè Sapiens: *Semita, ait, Justorum, & virtutis cultorum, quasi lux splendens procedit, & crescit ad perfectum diem.* Pueri 100. annorum probro & irrisioni sunt apud Prophetam. *Homo etiam ille, qui capit adificare, & non potuit consummare, illusus est ab hominibus.* Joseph porro laus illa est: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens.* Et illa Davidis: *David autem proficiens, & semper se ipso robustior efficiebatur.* Tum & illa Salvatoris JESU: *JESUS proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* Denique si alicubi jubemur esse parvuli, id malitiâ tantum, non virtute. aliàs verò inclamatur parvulis sensu: *usquequo parvuli diligitis infantiam?* Igitur Religiose, cum tua primæva  
virtute

virtute semper cresce, semper adde, semper profice, semper ambula, semper tibi displiceat id, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es.

At ubi virtutem suam, & quando Religiosus Societatis imbecillam roborabit, inchoatam consummabit, imperfectam perficiet? Breviter & rotundè dico: Dum Societatis homines in Collegiis vivunt, dum scientiarum præsidia comparant, dum disciplinas tradunt aliis, dum instrumenta zeli animarum & sibi conquirunt, & ipsimet fiunt, dum officiis inter domesticos pariter variis distinentur, & ad futuros labores præludunt, dum in tertia probatione, scholâ affectûs, exercentur, attritumque nonnihil fortè spiritûs & virtutis fervorem restaurant, tunc virtutem, olim in Novitiatu haustam, perficere & roborare atque solidare debent.

Suprà dicta namque omnia, & hisce similia ita à nostris tractanda sunt, ut per illa ac inter illa, non tantùm non perdat, sed solidetur potiùs, augeaturque spiritus. Itaque hæc est unica de multis Societatis circa suos Religiosos curis cura maxima, spiritum in suis fovere, promovere, augere, robustiorem perfectiorémque facere, eumque eò tandem perfectionis, roboris ac soliditatis deducere, ut filios suos, in opus Evangelici ministerii, securè possit tanquam ex umbra in lucem, & ex arena in aciem producere. Quod quomodo fieri possit, hac in Consideratione, ad normam præcedentis, sub nomine secundæ Religiosorum Classis expendendum est; certaque propositorum ac observa-

D

tionum

tionum huic Classi convenientium, per quæ virtus perfici & exercitari possit, Capita consideranda, & in animum demittenda.

Imū Caput. Secundæ Classis Religiosus Societatis (de hoc enim præcipuè nobis sermo & huic ista consideranda proponimus) menti suæ insculpat profundissimè propositum & dictamen istud. Quidquid hætenus in Religione feci, pertuli, perfectionis paravi, aut nihil, aut exiguum quiddam est, ac rude, impolitum, valdeque imperfectum ac infirmum: proinde non tantum non debeo cessare, non tantum non debeo quietem & libertatem laxitatemque vivendi sperare, spectare, sed potius magis ac magis debeo, in Tyrocinio inchoata perficere, formare, & expolire. Absit, ut credam licitam mihi fore & dissimulandam in me à Majoribus esse libertatem, & leviolem transgressionem. Absit, ut credam mihi postmodum non perinde invigilatum iri vel invigilandum esse à præsidibus. Absit, ut credam in Collegiis minùs spiritui, minùs animæ cultui, minùs mentis recollectioni, minùs internæ externæque modestiæ ac mortificationi, minùs orationi, reflexioni, devotioni, Regularum observationi attendendum esse, vel attendi à me posse; si affectus eâ spe eaque fide ac persuasione sim, pro certo perdendus mihi primævus spiritus, inque tepiditatis barathrum prouendum est, *Adjurva me Domine in bono proposito meo, in sancto servitio tuo, Et da mihi hodie perfectè incipere, quia nihil est, quod hætenus feci.* Thom. à Kemp. lib. 1. Etenim: *Si inchoata bona fortis operantis manus ad*  
per-

*perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio, contra hoc, quod operatum est, pugnat.* Gregor. 3. P. past. adm. 35. hinc per Salomonem dicitur: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis,* Prov. 18. Cujus propositi est illa ratio efficax, quia tempus Tyrocinii & Religiosæ juventutis ad hoc Religio dat suis, ut in eo discant, quomodo per totam vitam debeant postmodum vivere, & opera Religionis exercere. Itaque Tyrones exercitia Tyrocinii sui non debent cum Tyrocinio ipso relinquere, sed secum ad Collegia deferre, & in Collegiis eadem omnino exercere. Nam si v. g. in Tyrocinio doceamur meditari; & modum meditandi, reflectendi, convincendi, proponendi, postulandi discamus, quem tamen in Collegio postmodum negligamus: dicam, nos Tyrocinii tempus non malè quidem collocavisse; negabo tamen nos in hac parte bene Tyrocinium explevisse ac posuisse. Discit enim miles in otio, non ut artem pugnandi negligat, sed potiùs, ut sciat & exerceat artem quam didicit, in aperto prælio. Sic & Religiosus discit in Tyrocinio, qualis debeat esse, & quâ cum perfectione actiones suas omnes peragere debeat in Collegio, & in toto Religiosæ vitæ suæ spatio. Ex quo elucescit illorum stultitia Religiosorum, qui quò antiquiores in Religione sunt, eò laxiores in conscientia, & indulgentiores in se sunt, laxitatèque suam per antiquitatem excusant, quam in junioribus per hoc, quòd Juniores sunt, tolerandam non putant.

adū Caput. Secundæ classis Religiosus assuescat,

D 2

non

non tantum rectam, puram, defæcatamque intentionem in omnibus (præcipuè studiis) habere, sed etiam eandem crebrò in diem innovare, atque si pulverem contraxit, expolire. Intentio enim recta, omnium operum est anima. Nihil ergo quærat à Religioso, nisi Deus, nisi propter Deum. Hoc sit ei familiare, sed ignitum alloquium: *propter te Domine, propter te.* Item: *Ad majorem Dei gloriam.* Item: *Domine ut tibi placeam soli amplius, ut mihi placeas solus amplius:* quia mihi places. Item: *Domine quia vis, & quia dignus es.* Item: *Omnipotentia, sapientia, bonitas, providentia, dignitas, voluntas, amor præveniens:* ecce ego, & omnia opera mea coram Te, non propter me, non propter alios, non propter consuetudinem, sed propter te Deus meus & omnia, quia hæc est voluntas tua, & dignitas voluntatis tuæ.

3<sup>ti</sup>ũ Caput. Secundæ Classis Religioso sit commendatissimus ordo, modus, diligentia, applicatio in agendo. Ordo, ut omnia agat suo tempore, loco, serie. Modus, ut uniuscujusque actionis suæ habeat, peragendæ cum perfectione, modum, constetque illi ratio quamlibet actionem peragendi cum fructu, merito, profectu, Dei gustu. Diligentia & applicatio, ut seriò agat quæ agit, ut ad minima (modò proficua actionis perfectioni) advertat, & omnibus numeris expletum opus Deo exhibeat. Ad ista se se assuefacere, quàm proficuum Religioso, quàm fœcundum sit, dicere paucis non possum, multis hõc locò nolo: suadeo tantum, ut id Religiosus proprio discere satagat experimento.

quod

quod facile poterit, si Dominus & sui juris, non autem actionum esse voluerit, si præviâ consideratione omnia agere voluerit; si cujuslibet operis sui rationem, Regulam modumque prævisum, atque vel à se excogitatum, vel ex praxi Sanctorum, vel ex Magistrorum spiritualium ductu habere in promptu curaverit.

4<sup>to</sup> Caput. Secundæ Classis Religiosus tempus, pretiosissimum ut est, ita etiam reputet, atque adeò avarissimè captet, & tenacissimè seruet; maxime autem micæ temporis in numerato habeat, & unicuique parti ac micæ occupationem, præcipuè piam designet, eamque in eo expedire assuecat. Fures temporum, confabulatores socios, & inutiles, nec profuturas occupationes, cognitiones, congressiones, curas declinet. Nullam non temporis partem, vel spiritui, vel studiis, vel labori utili impendat. O quàm multos audire solemus, suæ tepiditatis in spiritu causam, in defectum temporis ad vacandum Deo & sibi, in molem studiorum & occupationum assiduitatem conjicientes, qui potius ignorantiam redimendi & collocandi bene tempus inculcare debuerant! Quàm multæ quotidie temporis particulæ his effluunt otiosæ & inutiles, quas si rapuissent, & vel solas in die, ascensui in Deum, exercitio interno virtutum impendissent, non tantum tepiditatis spiritum & sensum in se ignorassent, sed ignitissimi fervore, unitissimi Deo, locupletati meritorum & virtutum gradibus, actuumque numeris singulos in dies, evasissent. Sed hæc à superborum ac negligentium oculis abscondit Deus,

ur sordescant in sordibus suis & refrigescant corde,  
 & evanescant in cogitationibus ac studiis, & exer-  
 ceantur in conscientiis suis, quas non colere, sed  
 mentiente sibi iniquitate clamantes obruere, &  
 vanis, ac tantum ad excusandas excusationes in  
 peccatis, excogitatis velaminibus & formalitatibus,  
 atque scilicet discretionibus, mutas facere volunt  
 & contenti sunt.

5tum Caput. Discat Religiosus secundæ classis,  
 non ambire occupationes extraneas sibi, discat po-  
 tius minorari actu, non gaudeat videri aptus ad  
 agendas res ad illasve adhiberi. Sufficiat illi occu-  
 pari cum Deo, cum suo, (si quod habet) domesti-  
 co officio. Amet cubiculum, quia anima sedendo  
 & latendo fit doctior, fit melior, fit sanctior, fit  
 cultior, fit purior. Ne discat Religiosus ante mes-  
 sem efflorescere. Agnoscat se adhuc canalem esse,  
 non concham; nondum habere satis pro se, quo in-  
 fundatur, nedum pro aliis, quod effundat. Ven-  
 nient tempora, in quibus proximis inservire poterit,  
 (si tamen tunc voluerit) usque ad defatigationem.  
 Immaturi zeli, ordinariè sunt tepiditatis ac fastidii  
 spiritualium rerum, negligentia verò in studiis fi-  
 lii; sementis murmurationum & linguarum, occasio  
 turbationum & tristitiarum &c. Quòd, si Religio-  
 sum talem ad actiones & occupationes protrahit  
 aliquando obedientia vel caritatis necessitas; obe-  
 diat, impendatque se, sed non expendat, non ef-  
 fundat; commodet se actioni & negotio, non do-  
 net, illudque ipsum ordinatè, quo ad tempus, lo-  
 cum, modum, superiorum mentem, sui cordis  
 pacem,



pacem, exequatur, nec ultra quàm sat est, illi immorerur. *Qui minoratur actu, sapiens.* Eccl. 38. 25.

6tum Caput. Consuescat secundæ classis Religiosus, certam rationem & seriem, praximque & occasionum varietatem, virtutibus exercendis idonearum perspectam habere, atque ipso actu Virtutes ex proposito ac destinato, per anni, mensis, & dierum seu horarum intervalla exercere, earumque sive internas, sive externas actiones, sibi familiares & faciles efficere. Frustra enim meditatio de rebus piis, etiam quotidie instituitur, si actu & re ipsâ, Virtutum pietas quotidie non exercetur. Frustra etiam, & parvo profectu, Virtutum, inter meditationes proposita desideriaque concipiuntur, nisi eadem proposita, certis temporibus ac designatis occasionibus sæpius in diem, assignato etiam numero vitiorum, actibus ipsis perficiantur. Frustra animus Virtutem, oblatâ qualibet insperatâ & fortuito occasione, retenturus & exerciturus. neque transversum in subitanea perturbatione passionis agendus præsumitur, nisi antea idem animus, aliquantum longo tempore, cujuslibet virtutis, quotidiano & destinato usu ac exercitio, partim praxim cognoverit, partim possessionem adierit, & se se bene ac longè antè voluntario ac meditato studio, ad imprævisas imperatasque virtutum exercendarum occasiones præmunierit & assuefecerit. Sicut enim discimus in scholis, Latinè, emendatè, aut ornatè loqui meditato, ut extra scholas possimus eadem formâ loquendi uti quibuslibet se

offerentibus occasionibus, etiam impræmeditatè, aut sicut fidicen in conclavi, attentâ meditatione discit & affuescit lyrâ canere, ut in publico postmodum sine ulla etiam attentione animi, expeditè & harmonicè possit ludere: ita Religiosi meditatio & ex proposito actus virtutis, nunc hujus, nunc illius, tanto vel tanto numero exercere debent, ut postmodum ad offerentem se fortè quamlibet occasionem alicujus virtutis, parati faciles & affuesciti inveniantur. Atque hoc, quod isto in capite retuli, ad eò verum & necessarium censeo, ut sine ejus documenti practico usu, nullam virtutis soliditatem unquam Religioso sperandam asseram, quantumlibet ille multas decades annorum, in stadio vitæ Religiosæ decurrerit. Neque aliud est, quod ad eò multos decipit, qui se senes Religione quia recordantur, ideo etiam perfectos in virtute, & ab aliis credi volunt, & semetipsi falsò arbitrantur. Qui utinam errorem aliquando agnoscant suum, *Et vel in hora ultima ad vineam Domini*, Matth. 20. 6. Scilicet ad animam suam excolendam, interiore operatione convertantur, ne fortè aliquando, totâ die otiosi stertisse convincantur.

7mum Caput. Affuescant secundæ classis Religiosi, omnes quotidianas & quancumque in vitam suam incurrentes, sive occupationes, sive actiones, spiritu sublimare, devotionis fervore incendere, Virtutum variarum gemmis vestire, omnium denique requisitarum circumstantiarum perfectione & consummatione animare: sive actiones occupationesque sint naturâ objectoque suo spirituales

tuales

tuales , sive ex objecto quidem indifferentes , ex solâ verò operantis voluntate atque intentione in spiritualium indolem transformatæ sint. Non sit contentus , malam aut otiosam indifferentemve actionem non esse , quam agit : non sit contentus bonâ à se intentione fieri : addat insuper fervorem , attentionem , devotionem , Dei vel Christi , vel Sanctorum imitationem : addat internam spiritûs unctionem , addat sui in opere , suæque voluntatis in Deum & Dei voluntatem liberalem & hilarem transfusionem , resignationem , sacrificeationem : addat his gemina , quæ hîc explicare & brevitatis non sinit , & unicuique à sua caritate , quæ ingeniosa est , atque à gratia Divinâ , quæ nemini unquam deest , facillimè dictantur. Neque hic operandi modus aut difficilis aut spinosus & onerosus viribus corporis est , si prudentia atque discretio ac directio adsit , si per partes discatur , & sensim consuetudo ad multa traducatur , si præmeditatò quælibet opera exercentur. Hic certè operandi modus , eorum , qui eum sibi familiarem reddunt , perficit virtutes , auget merita , ditat animas , purificat corda , gratias omnis generis provocat , Deum familiarem facit , & Religiosum ad futuras circa proximorum salutem curas communit , securumque facit. Quod quidem melius experienciâ quàm doctrinâ discitur.

8vum Caput. Assuescat secundæ classis Religiosus , libertati Religiosæ in observatione Regularum suarum , in loquendo de Deo & divinis , cùm tempus posset ; in fungendo & exequendo officio suo , juxta

exigentiam ejus, praximque receptam, esto aliis id sit submolestum; in declinandis defectibus aut etiam cum opus, & cui opus, deferendis, In observandis consuetudinibus ordinis sui receptis, antiquis & usitatis, in usu pœnitentiarum externarum, publicarum. Nemo te Religiose complicem defectûs sui speret, nemo non vereatur te præsente in disciplinam peccare, & non ideo quòd revereatur delationem tuam, sed quòd revereatur conscientiam & observantiam tuam. Faciat tibi auctoritatem non ætas, non canities, non doctrinæ opinio, non officium, non libertas arguendi, sed tenor vitæ ad disciplinam institutæ, sed professio libera, atque sancta, in verecundâque ad Regulæ præscriptum semper vivendi libertas, ita ut reprehendar, vel reprehensura videatur alios, non lingua tua, sed vita, sed integritas, sed inflexibilis ab instituto & recto constantia. Qui sic vivere didicerit, huic ad solidam Virtutem diù aliquid deesse non possit. Urinam domus & Ordines Religiosi, talibus viris virtutum abundant! Talis ratio vivendi cum consummata est, non ad mediam hanc, de qua nunc agimus, sed ad tertiam classem mox tractandam pertinet: attamen dum peragatur, ad eandem spectat: quinimmo & legimus & experimur, quandoque juvenum virtute præditorum præsentia graves etiam atque senes, & Præpositos Religionum, ad meliora componi solere.

9num Caput. Assuescat secundæ classis Religiosus, zelum Dei gloriæ & animarum quàm maximum in spe & expectatione, sed temperatum in executione

ne habere. Dum in hac classe est, zelum suum in hoc præcipuè exerat atque excolat, ut sese instrumentum zeli Deo, Ecclesiæ atque Societati quàm accommodatissimum efficiat, sive Virtus, sive doctrina, sive prudentia, sive quolibet aliud requisitum spectetur. In veritate dico: hominem Societatis, olim circa salutem aliorum omnis generis hominum atque statuum occupandum, oportet esse in omni ente perfectum, hoc est, oportet esse in omni virtute, scientiâ, eruditione, animorum tractandorum dexteritate insignem, aut certè non mediocriter versatum. Talem ergo se efficere curet secundæ classis Religiosus, & satis spatiosum zelo suo campum, dum in hac classe est, habebit.

10mum Caput. Assuescat secundæ classis Religiosus, nullam sibi in Religione neque pro præsentis tempore, neque pro futuro occupationem, locum, tempus, serièmvè actionum ab alieno arbitrio dependentium assignare aut promittere. Ad omnia se paret: nihil specialius & firmitus desideret, esto etiam humilior, zelo ingeniove suo convenientius, id quod desiderat, videatur. E contra etiam à nullo refugiat impotentius ( nisi quod ambitionem redoleat ) sed sic seingat, ut mollis cera sit, ut senis baculus & cadaver sit, ut instrumentum sit, quod manum elaborandam non sibi deligit, sed ejus deligendæ curam artifici relinquit, & ad delectam applicari ab eodem expectat. Sit Religiosus aquæ similis, quæ nullam naturâ figuram habet, sed eam recipit, quam vas habet, cui infunditur, nullam etiam retinet, postquam ex vase effunditur.

ditur, sed alterius continuò vasis figuræ assimilatur. Talis Religiosus esse discat; non adhæreat loco, Superiori, socio, officio, hominibus, tempori, sed ejus vasculi figuram induat, ejus, inquam, imperii, omnibus circumstantiis se se accommodet, à quo dirigitur. Aquæ congelatæ proprium est, retinere vasis figuram, etsi extra vas ponatur: sic Religiosi frigidi atque tepidi ingenium est, adhærere affectu ad placita sibi loca, officia, opera, & agrè ab illis avelli, ad illaque desiderio aspirare.

His exercitiis è Tyrocinio desumpta virtus, à secundæ classis Religioso in Collegiis exercenda, & roboranda est: dum studet, dum docet, dum officiis distinctur aliquibus domesticis, dum sodalitates administrat, dum foras quandoque ad præludendum zeli sui fervoribus dimittitur. Horum exercitiorum munita præsidiis virtus in Collegiis non labat, non flaccescit, immo roboratur & validior efficitur; aliàs verò iis destituta, nihil mirum, si non flaccescit tantùm, sed etiam evanescit. Non labor scientias comparandi, sed neglectus, inter conquisitionem scientiæ virtutes exercendi, virtutibus nocet. Quâ in re, sicut & in totis his capitibus istâ consideratione explicatis, inexcusabiles sunt nostri in Collegiis Scholastici, quia nulli de nostris alii, tam commodè his omnibus quæ hæcenus retuli, satisfacere possunt, ut Scholastici: quòd si non faciunt, nemini præterquam sibi & ignaviæ suæ imputare debent.

CON-